

Dubium oriri potest num baptismus conferendus sit iis adultis de quorum intentione nullum positivum signum habeatur, puta moribundo quem missionarius obvium habeat jam sensibus destitutum, vel lingua loquentem omnibus adstantibus ignota. Sententia antiquorum Theol. doctrinae et SS. Congregationum responsis conformior, est: non licere talibus baptismum, etiam sub condicione, conferre. Ita S. Inqu. 18 Sept. 1850 de casu hujusmodi interrogata respondit: "Si antea dederit signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderit, baptizari posse sub condicione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adjunctis inspectis, ita prudenter judicaverit." (Coll. P. F. n. 582; cfr. similia n. 585 ad 2) Atque idem responsum remisit S. Inqu. 30 Martii 1898 interroganti de Mahumedanis moribundis qui sensibus destituti sint. Nihilominus, cum Lehmk. (II. n. 78), censemus non esse reprehendendum qui talibus baptismum condicione conferret, fretus universalis voluntate salvifica Dei, quae ad spem concipiendam de necessariis dispositionibus internis invitare videatur, dum ad moribundum ducat eum a quo externum ritum sacramentalem percipere valeat. Nullibi enim hujusmodi sententia diserte in documentis S. Sedis reprobatur, quamvis securior norma agendi commendetur. Accedit paritas cum praxi hodie tuta, quamvis a plerisque antiquis DD. reprobaretur, absolutionem condicionalam moribundis tribuendi, etiam ubi tenuissima dispositionum requisitarum spes affulget. (n. 300) Supponimus tamen baptismum condicatum talibus moribundis conferri posse, quin sequatur periculum contemptus religionis catholicae apud reliquos infideles: quod periculum sacerdos prudens plerumque avertere poterit.

Attende amentes, qui antea ratione usi sint, per se in eodem censu habendos esse ac reliquos adultos qui hic et nunc intentionem baptismi recipiendi manifestare nequeant. Attamen facilius supponi poterit eos, antequam in amentiam inciderent, intentionem suscipiendi baptismi habuisse, ac proinde, quando judicatur amentia perpetuo duratura, licebit eos sub condicione baptizare.

**151. IV.** Filii infidelium qui, rationis usum habentes, baptismum postulant, jus habent illum recipiendi etiam invitis parentibus: nam in iis quae juris sunt naturalis aut divini, incipiunt suae potestatis esse. (S. Th. 3. q. 68. a. 10.; Bened. XIV Const. *Postremo mense cit.*) Idem a fortiori valet de filiis haereticorum qui baptismum sub condicione postulant, cum eorum parentes sint Ecclesiae subditi.

Nou sunt tamen improbandi animarum pastores qui nolunt hujusmodi pueros vel puellas, invitis parentibus, statim ad baptismum admittere, sed exspectare jubent donec juvenes vel puellae, etiam civiliter, sui

juris facti sint vel sat longa probatione validum perseverantiae suae argumentum dederint. Etenim, ob iniquam temporum condicionem, Ecclesia prosequi nequit jus quod ipsi competit illos neo-conversos ab auctoritate parentum subducendi et in tuto loco educandi: quare plerumque magnum periculum erit ne tales adulescentes a parentibus et cognatis ad pristinos errores reducantur, cum gravi injuria suscepti sacramenti et religionis catholicae dedecore. Insuper quandoque, ob baptismum invitis parentibus collatum, gravia mala communia rei catholicae merito timeri possent. Quodsi Ecclesia, ad talia incommoda vitanda, baptismum denegat infantibus quorum multi propterea in statu peccati originalis morientur (n. 147 seqq.), a fortiori licebit, ad similia incommoda vitanda, differre baptismum iis qui per caritatem perfectam haud aegre amicitiam Dei obtinebunt vel recuperabunt. Manifestum est doctrinam modo de liberis relate ad parentes expositam, valere etiam de aliis adultis qui quoad multa non sunt sui juris, puta de uxore, servo, etc.

#### § 4. DE BAPTIZANDIS SUB CONDICIONE.

**152. I.** Quamvis baptismus sit omnino ad salutem necessarius, non licet illum sub condicione iterare ob quamicumque *levem suspicionem* vel *scrupulum* de ejusdem invalida collatione. Id enim gravem irreverentiam sacramento jam moraliter certo inferret et, si passim fieret, multis dubiis et scandalis occasionem daret. Sic S. Inqu. (30 Jan. 1833) prohibuit ne iterum haptizaretur qui a schismatico ministro baptizatus fuerat, et hunc debita intentione caruisse autumabat, quia quidam episcopus olim schismaticus declaraverat se numquam habuisse intentionem vere baptizandi quando catholicorum filios baptizabal. (Coll. P. F. n. 650)

**II.** Iterandus est sub condicione baptismus, quando de valore prioris baptismi habetur *dubium prudens, rationabile seu probabile* quod, diligenti examine instituto, dissipari nequeat. Ita, cum communissima DD. sententia, constanter statuerunt SS. CC. Inqu. et P. F. Attamen, ob summam hujus sacramenti necessitatem, non tanta ratio ad illud iterandum requiritur quanta pro aliis, ut puta pro confirmatione. Quare si, examine instituto, incertum manet utrum dubitandi ratio sit probabilis an spernenda, in favorem baptizandi inclinandum est. (Bus. ap. S. Alph. n. 134)

**III.** Ex his regulis sequentes conclusiones derivantur de iis qui inter catholicos nati sunt:

1º Non licet rebaptizare eos de quorum baptismo constat per unum testem fide dignum: nam talis probatio, si nulla contraria praesumptione infirmatur, moralem parit certitudinem. (Bened. XIV, cit. Const. *Postremo mense*)

2º Infantes expositos ne sub condicione quidem baptizare licet, si reperti sunt cum schedula quae de baptismo eis collato testabatur, modo non lateat qui schedulam scripsert eidemque fides tuto praestari possit, ut declarat Bened. XIV. (l.c.) Hinc concludere licet sub condicione baptizandos esse qui nullam schedulam deferunt, vel a viro ignoto aut parum fido scriptam.

3º Non licet rebaptizare sub condicione indiscriminatum omnes qui domi ab obstetricibus aliisve laicis baptizati fuerint, ut pluries S. C. C. edixit. (Coll. P. F. n. 648) Necessitas examinis in singulis casibus instituendi a fortiori sequitur ex ejusdem necessitate ubi baptismus in haeresi susceptus est. Facile tamen dubium rationabile habebitur si persona quae baptizavit reperta fuerit a religione aliena, ideoque parum sollicita ut materiam et formam rite applicaret, vel si cuicunque examini se subtraxerit, etc.

4º Non licet, ante ordinationem, sub condicione baptizare eos qui de baptismo sibi collato dubitant tantum quia nullum illius positivum documentum vel testimonium habere potuerunt, vel quia baptizati sunt a catechistis aliisve christianis minus instructis. Ita respondit S. C. de P. F. 30 Sept. 1848. (Coll. P. F. n. 652)

**153. IV.** De iis qui ab haeresi ad fidem catholicam convertuntur, sequentes conclusiones tenendae sunt, e decreto S. Inqu. 20 Nov. 1878 (Coll. P. F. n. 660):

1º A quocumque loco vel a quacumque secta haeretici venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Non sufficit attendere ad Rituale sectae et examinare num aliquid validitati baptismi contrarium contineat, sed insuper indagandum in singulis casibus tam de facto, seu de collato baptismo, quam de modo quo a ministro prescriptiones hujus Ritualis observatae fuerint. (Instr. S. Inqu. 1877; Coll. P. F. n. 659)

2º Si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse baptismum, baptizandi erunt absolute.

3º Si, investigatione pro temporum et locorum ratione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub condicione secreto baptizentur. (1)

(1) Cum erescat in dies acatholicorum incredulitas vel incuria, verisimiliter opinatur Lehmk. (II. n. 19 nota) fere ubique, et speciatim in America, repeten-

4º Si constiterit validum fuisse baptismum, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei. Cfr. n. 257 et Conc. Baltim. III (n. 120-122), modo expositis plane consonum.

**V.** Condiciones baptismu conferendo addere licet et oportet tantum quando locus est dubitandi num aliquid defuerit aut desit quod *ad valorem sacramenti* requiratur. Sed prorsus illicitum est valorem baptismi dubium facere addendo condicionem quae ad *licitam*, non autem ad validam collationem pertineat, ex. gr. si incapax es instructionis adultis ante susceptionem baptismi necessariae. (Instr. S. C. de P. F. 17 Aug. 1777 cit.)

#### CAPUT IV.

##### DE CAERIMONIIS BAPTISMI

###### § 1. DE CAERIMONIIS UNIVERSE SUMPTIS.

**154. I.** Baptismus regulariter conferendus est cum omnibus caerimoniis quae in Rit. Romano eidem adsignantur. (n. 116) Immo, ut diserte edixit Bened. XIV Const. *Inter omnigenas*, 2 Febr. 1744 (Coll. P. F. n. 602), sine gravi peccato neglegi nequeunt "tam magni ponderis tantaeque antiquitatis ritus atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii." Hinc letaliter peccaret qui, sine gravi causa, omittaret aliquam notabilem caerimoniam ex iis quae in collatione baptismi observanda sunt, ex. gr. unctionem chrismatis (S. Alph. n. 141), insufflationem, salivae et salis impositionem. (Bened. XIV Const. *Omnium sollicitudinem*, 13 Sept. 1744)

Grave quoque peccatum foret veteribus oleis ultra annum uti, quod a Rit. Rom. prohibetur "nisi necessitas cogat." Quare graviter peccaret sacerdos qui, cum commode posset, non curaret de novis oleis opportuno tempore comparandis. Si tamen nova nondum habentur, non ideo differendus est baptismus, nec omittendae unctiones, quae chrismate et oleo vetere fiant. (S. C. R. 23 Sept. 1837; Coll. S. R. n. 2773) Licebit quoque, ob quodcumque impedimentum rationabile et grave, solennitates baptismi omittere, ex. gr. si tempus omnino deficiat, si sacerdos

dum esse baptismum ab acatholico collatum, quotienscumque desit testis omni fide dignus qui de baptismo rite peracto singillatim testari possit.